

DE  
NECESSITATE ΘΕΙΟΥ ΤΙΝΟΣ ΔΟΥΤ  
EX SENTENTIA SOCRATICORVM

AD L. PLATONIS IN PHAED. C. VII. 50.  
DISSERIT.

---

AC  
VIROS  
OMNIVM ORDINVM ET DIGNITATVM  
GRAVISSIMOS

AD  
ORATIONES RECTORIS

ATQVE  
CON-RECTORIS

D. XII. JVL. A. R. S. CIO MDCC XXXVI.  
IN FRANCISCANEO NOSTRO  
H. L. Q. C.

BENEVOLE AVDIENDAS

VT  
MVNERIS SVI AVSPICIA CELEBRENT  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT  
M. ANDREAS CHRISTIAN CLEEMANN,  
RECTOR.

---

MISENAE  
EX OFFICINA LOEUVIANA.

Lit. Graec.

B.

206,52

72



cl. w.



Ene sapienterqve prudentiores christianarum veritatum vindices, qui divinæ manifestationis necessitatem comprobarunt, ea potissimum in re posuerunt operam suam, ut, quæ mentis humanæ sit imbecillitas, quamqve parum adjumenti inveniant in ratione sibi relicta, qui & animi sui tranquillitatem obfirmare pieqve ac innocenter vivere quærant, argumentis doceant quam validissimis. Quæ sane via, ut recta eaqve expeditissima est, qua ad pernoscendam hanc  
ve-

veritatem tutius ducuntur mortales : ita a) plurimis  
 b) a vero DEI cultu alioquin alienis & Socrati maxime  
 ejusque discipulis licuit esse tam perspicacibus, ut men-  
 tis suæ cœcitate cognita, ad lumen aliquod provocent  
 naturæ vires excedens, verboque, ut ajunt, divino labo-  
 ranti succurrendum esse rationi bene argumententur.  
 Testatur id egregie satis Platonis ille exquisitissimus  
 dialogus Phædonis nomine insignitus, quem Cicero  
 ipse est fassus, c) nunquam se sine lacrumis legere po-  
 tuisse, quove perlecto ante cædem sibi illatam animum  
 suum confirmasse Catonem d) Florus declarat. Diu

a 2

vi-

- a) Præc'are hinc Cicero Lib. I. de divinat. p. m. 149.  
 Quæ est autem gens, inquit, aut quæ civitas, quæ non  
 aut extis pecudum aut monstra aut fulgura interpre-  
 tantium aut augurum aut astrologorum aut sortium,  
 aut somniorum aut Vaticinationum prædicatione  
 moveatur. Est enim vis, aut natura quædam, quæ  
 tum observatis longo tempore significationibus, tum  
 aliquo instinctu inflatuque divino futura pronuntiat.  
 Ex quo colligitur, utique aliquam esse arcanorum re-  
 velationem, a supremo numine habendam --- Siqui-  
 dem ista recipiuntur, si divinatio sit, sint Dii, & si Dii  
 sint, sit divinatio.
- b) Gentes fere omnes divinam manifestationem credi-  
 disse evincit Rogerius v. ejus libr. Die eröfnete Thür zum  
 Heydenthum.
- c) De Nat. Deor. Lib. III. c. 33.
- d) Libr. IV. c. 2.

videlicet multumque quum habuisset sermones cum  
discipulis suis de animi immortalitate Socrates ille acu-  
tissimus, omnibus in medium prolatis, quibus ex men-  
te hujus philosophi illud dogma possit suffulciri:  
tandem quæ animarum post mortem sit conditio, quæ  
præmia virtutis, quæ pœnæ eos maneant, curatius in-  
quirit. At cum singulis rite expensis non habeant,  
unde ea queant deduci, cumque nec ex aliis discere,  
nec, quæ eo spectant, ipsi invenire possint, sapientis  
omnino esse credit Simmias, quo ad optimam tutissi-  
mamque humanarum rationum, ut loquitur, scilicet  
ad verbum divinum confugiant, quo totius minorique  
cum periculo in rei hujus penetrent adyta. e) Quod  
effatum, quum consideratu sit dignissimum, non abs re  
nostra erit, ut illud hic adjungamus, quo & mens philo-  
sophi & ea, quæ sumus dicturi, melius perspiciantur. f)  
Sic enim Simmias: Ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὡς Σώκρατες περὶ τῶν  
ποιήτων ἴσως ὡσπερ καὶ σοὶ τὸ μὲν σαφὲς εἶδέναι ἐν τῷ νῦν βίῳ ἢ  
αἰδόναιον εἶναι ἢ παγχαλετόν τι τὸ μὲντοι αὐτὰ λεγόμενα περὶ  
αὐτῶν μὴ ἔχει παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν καὶ τραφιετάσαι, πρὶν αὐ-  
πανταχῆ σκοπῶν ἀπέιτη, τίς πάνυ μαλθακῆ εἶναι ἀνθρώπος.  
δεῖν γὰρ περὶ αὐτὰ ἐγγέ τι τῶν διατρεξάσαι ἢ μαθεῖν ὅτι  
ἔχει

e) Vid. Plat. Dial. Phædon. c. VII. 56.

f) Sunt hæc non Socratis verba ut Ill. Heineccius vult  
in Elem. Philos. Rat. & Mor. p. 342. sed potius Simmiæ  
ad magni hujus philosophi argumenta responden-  
tis.

ἔχει ἢ εὐρεῖν ἢ εἰ ταύτα ἀδύνατον τὸν γὰρ βέλτιστον τῶν ἀνθρώπων λόγων λάβοντα καὶ δυσεξελεγκτότατον, ἐπὶ τῆς ὀχόμενον, ὡσπερ ἐπὶ οὐδίας κινδυνέουσα διαπλεῦσαι τὸν βίον· εἰ μὴ τις δύνατο ἀσφαλέςερον ἢ ἀκινδυνότερον ἐπιβεβαιότερα ὀχήματος ἢ ΛΟΓΟΥ ΟΕΙΟΥ ΤΙΝΟΣ διαπορευθῆναι. *Mihi enim videtur, o Socrates, quemadmodum tibi quoque fortasse, de his quidem rebus manifesta veritas in vita praesenti aut nullo modo, aut summa cum difficultate intelligi posse; ea tamen quae de his dicuntur, non omnimodo explorare & prius desistere, quam quis omni adhibita contemplatione defatigatus sit, molis omnino esse viri: sed circa haec alterutrum horum facere nos necesse esse, aut discere vel invenire, quemadmodum se habeant; aut si haec fieri nequeant, optimum & quod quam difficillime redargui possit, ex effatis humanis eligere, quo quis tanquam rate vehatur, atque ita vitam pernavigare experietur; nisi quis firmiori quodam vehiculo vel DIVINO QVODAM VERBO tutius & minori cum periculo penetrare valeat.*

Immortales mortalium esse animos idque vel sine adminiculis divinitus concessis, solis nimirum rationis principiis effici posse, eorum evincunt conamina, qui nostra aetate tum ex ipsa animi humani indole atque natura, tum ex legibus, quas in cogitando mens leqvitur, iisque plane repugnantibus, ad quas corpora feruntur, veritatem hanc dilucide satis deduxerunt. Nec ea ingeniorum tarditate g) veteres pagani fuerunt

a 3

runt

g) Hinc afferere non dubitat Cicero insignem de animi im-

im-

runt philosophi, quo minus hoc studiis suis quodam modo sint affecuti, atque prout diversas inierunt philosophandi rationes diversis etiam & firmis superstruxerint fundamentis. Orpheum præter alias præclaras artes divinam illam de animorum immortalitate doctrinam primum fere in Græciam introduxisse h) Diodorus Siculus testis est, ex quo tempore magis magisque inter gentes sparsa est ac disseminata, donec i) a Thalete aliisque Jonicæ philosophiæ propugnatoribus fuerit confirmata. Quemadmodum vero k) Archelao duce omnem Jonicorum disciplinam curatius cognoverat Socrates; ita & de animi post mortem vita non divino quodam, quod l) Poiretus somniat, afflatu impulsus, sed horum Philosophorum præceptis adeo erat commotus, ut non solum in m) expoliendis

emmen-  
immortalitate doctrinam adeo esse antiquam, ut difficile sit in ejus inquirere origines Tusc. Quæst. I. 1. Id quod jam Plato cognovit L. II. de republ. Epicurmus ille atque Empedocles præter antiquiores hic nobis esse possunt exemplo, quos clarissime de animorum post mortem felicitate esse locutos omnis fere tradit antiquitas.

h) v. Lib. I. p. m. 86. it. 53.

i) v. Cic. Tusc. quæst. I. 16. & Laert. I. 24.

k) v. Plat. Apol. p. m. 21.

l) v. ejus Oecon. div. L. III. c. 3. Quem quidem in errorem incidit Marsilii Ficini auctoritate seductus v. III. Thomas Præfat. vitæ Socratis, quam Carpentarius edidit, præmissam.

m) v. Phæd. c. 83.

emendandisque civium suorum moribus ardua sæpius  
 hac uteretur doctrina, sed etiam in colloquio ante obi-  
 tum proxime habito eas exponat rationes, quibus, quæ  
 disputabat, ad veritatem propensiora videri poterant  
 discipulis. Quam confidenter provocat inde ad illam  
 Jonicorum ἀντοκινησιαν, quæ Thales humanas mentes  
 æternum quasi motus principium in se habere statue-  
 bat. Etenim quum hominum animus n) cogitationi-  
 bus aliisque commotionibus nunquam non agitetur ac  
 impellatur quas ex se sponte producat adeoque sit  
 ἀεικίνητος, vel ut Stobæus o) addit ἀντοκινησιος: ex eo  
 simul p) æternum esse ac immortale, quicquid se ipsum  
 moveat argumentatur hicce philosophus. Confugit  
 denique ad q) perpetuam illam rerum commutatio-  
 nem, quæ circulo quasi ire omnia atque redire soleant,  
 ita ut quæ mortua videantur subinde reviviscant.  
 Quoniam sic cuncta ex tenebris iterum redeant in lu-  
 cem, quæ ex vita hac abierunt, aliique concedant natu-  
 ræ, cum alii contra æquali numero in dies nostrum in  
 orbem transferantur: sperandum omnino sit mortali-  
 bus, non ad nihilum redigi eorum mentes, sed æternas  
 subinde nova eaque majori corporum dignitate revo-  
 cari in hunc naturæ rerumque conspectum. Præter-  
 mit-

n) v. Plutar. in Conv. L. IV. c. 2.

o) Ecl. Phys. c. XL. p. m. 93.

p) v. Plato in Lib. X. de republ. p. m. 198.

q) Phæd. c. 30.

mitto r) alia, quibus tum se consolari ipsum, tum suos animorum æternitatem docere solerter est amicus, quæ quidem ita sunt comparata, ut facile appareat, maximopere hallucinari s) Dodwellum, qui Socratem, cum Epicuro animos natura mortales statuisse ex hoc Platonis dialogo probare non dubitat.

Attamen quanta etiam animi confusione hæc disputata videantur, non tamen tantum ponderis atque momenti habebant, ut & ipsum virum hunc ex oraculi responso σοφώτατον & ejus discipulos ab omni dubio ac formidine vindicare potuissent. Nactus inde disserendi veniam Simmias fluctuanti animo mox t) harmoniam esse animam morbis aliisque malis interituram exponit, mox quod corruptionis nec non conser-

va-

r) Huc simul argumenta sunt referenda, quibus humanam mentem μετέχειν τῷ Θεῷ ideoque sempiternam esse docet Socrates, ac quæ Cicero repetit c. 4. Lælii. Qui sapientissimus, inquit, est iudicatus Apollinis oraculo semper dicebat, animos hominum esse divinos, iisque, cum ex corpore excessissent, reditum in cælum patere optimoque & iustissimo cuique expeditissimum.

s) In Disp. de anima per naturam mortali, Cujus tamen viri de animæ immortalitate παράδοξα egregie, ut solet, discussit erudit. Baumeisterus in singulari exercit. Scholast.

t) v. Phæd. 51. Eandem sententiam habuisse Diæarchum Plutarehus testatur in l. de Placit. Phil. L. IV. c. 2.



vationis rerum causæ omnes lateant, manifestam de his veritatem præsentem in vita intelligi non posse objicit. Ad quæ dubia quamquam u) argumentis ex *ἀεμονίας* natura deductis respondeat Socrates, cæcutire tamen rationem in his non subobscurè innuit, ubi ipse subinde hæsitat indissolubilesque esse animas non x) pro certo ponat, sed potius veritatem hanc esse z) in profundo fere demersam atque probabilem modo fateatur. At quid ad hæc Simmias? quum neque ipsi invenire neque ex aliis discere ea queant miseri mortales, quæ tamen ad virtutem animique quietem religiose confirmandam admodum sunt necessaria, ad *λόγον* ut dicit *Θεῶν* esse confugiendum ratiocinetur, atque hoc effato divinæ cujusdam manifestationis necessitatem præclare comprobatur.

Ea itaque cum Socratis esset de mentis suæ immortalitate sententia, non potuit non, quin etiam in animi corporis hujus soluti vinculis conditionem penitus inquireret. Inquisivit sane eam in rem eo majori solertia

u) v. Phæd. 52.

x) v. Phæd. 44.

z) Ea videlicet modestia erat Socrates ut reconditas naturæ res plurimas earumque causas, in quibus disquirendis operam suam & oleum perdebat Jonici philosophi, se ignorare profiteretur. Quam quidem causam fuisse credit Cicero, quum nihil se scire diceret, nisi hoc, quod nihil sciat, cur ab Apolline sapientissimus sit judicatus v. Accad. Quæst. L. I. c. 4.

tia, quo certior erat, adesse jam diem, quo quid mortales maneat post fata, experiri debebat. A Leontino enim, Gorgia aliisque, quorum vitas exposuit a) Philostratus, in jus vocatus, ac si quos civitas Deos esse censuisset ne utiqvam religiose coleret eamque ob inculatorem b) damnatus, plurima fere, quæ de mortuorum post hanc vitam conditione tradidit sanctior antiquitas, discipulis suis exponit, quo lætior id, quod naturæ debebat, exsolveret. Quæ vero omnia, cum non firmis rationibus sed partim conjecturis multum infra certitudinem positis, partim poetarum figmentis, quibus res involvebant, firmabantur, novam sane nacti sunt occasionem Cebes & Simmias Θεῖς τινος τῆς λόγῃ necessitatem cognoscendi. Scilicet ea jam Ægyptiorum constans fuit sententia, de mortuorum animos deferri illum in locum, quem Socrates c) ἄδην nominat, cujus ob amœnitatem non illacrimasse eos piorum morti sed applaudisse potius Diodorus Siculus d) testatur, quod ὡς τὸν αἰῶνα διατρέβειν μελλοντες καὶ ἄδῃς μελιτῶν

a) v. L. I. Sec. II p. 492. seqv. de Vitis Sophist.

b) v. Xenoph. qui potissimum in memorabilibus Socratis præclaros hujus viri sermones, quos suis cum discipulis habuit hac occasione fusius exponit.

c) Describit hunc ita purum ut nulla radiorum ibi fiat refractione nec sensu aliquid percipi queat. Hinc nomen ei esse testatur Plotinus quod ἐν τῷ αἰεδεῖ hic sint mortales.

d) Libr. I. c. 12.

των ευσεβων tum demum æterna persruerentur felicitate. Retulit æqve ac disseminavit præter Orpheum Ægyptiorum sacris rite initiatum doctrinam hanc de pœnis atqve proemiis post mortem expectandis in Græciam Thales ille Milesius, suaqve, qva erat auctoritate admodum auxit. Jam vero quanti fecerit ejus scita Socrates præclarus philosophiæ ionicæ emendator atqve restaurator, ex iis quæ dicta sunt, facile colligi potest. Quid inde mirum, quod ad mortem iturus iisdem utatur, in felicitate defunctorum describenda imaginibus, quod in animarum illa μετεμψυχώσεις seu παλιγγενεσία e) ab Ægyptiis ad Græcos translata asserti sui quærat præsidium, eaqve sapientes ex vivorum numero exturbatos longe feliciores credat reddi, quod deniqve f) fabulas de animorum sortitu poeticas vocet in auxilium.

Quæ quidem omnia rectene an g) falso Plato tribuat Socrati, disquirendum hic nobis non est. Id saltem extra aleam est positum, majori fuisse ingenii acumine & virum hunc & ejus discipulos quin, quam incerta illa ac ambigua sint, cognovissent. Etenim cunctis de fato perfunctorum statu expositis, sic ingenue

e) v. Vossium de sectis Philos. p. m. 20.

f) v. Phæd. 83. seqv.

g) Multa perperam tribuisse Socrati Platonem ex eo constat, quod cum aliquando ejus evolveret Dialogos, ipse exclamaverit: Quam multa de me mentitur adolescens Laert. L. III. 1. 35.

h) loquitur: Hæc eo pacto se habere prorsus, ut ego exposui, non decet bonæ mentis virum affirmare. Esse tamen vel hæc vel talia quædam circa animas nostras earumque habitationes, quandoquidem animam immortalem esse diximus, & decere mihi videntur, & par esse quasi periclitantem existimare, hæc ita se habere. Honestum enim periculum est, oportetque hæc quasi carmina quædam quemlibet sibi ipsum accinere.

Hac itaque dubitatione si liberare se homines, infinitosque, quos in hac re neccat ratio, scrupulos evelle-  
re velint suis ex animis, sequentes iniundas esse rationes bene sapienterque colligit Simmias. Vel enim, quemadmodum mens corpore soluta se habeat post hunc discessum ipsi invenire, vel id si nequeant, ex aliis iisque sapientioribus discere teneantur mortales. Utrumque autem cum omni ex parte susceperint, duce quidem hominum sapientissimo, inque veritate & ad tranquillandas mentes & ad summum illud bonum plenius rite cognoscendum maxime accommodata & necessaria, nil certe superesse philosophantium rationi censet, quam ut confugiat ad superius aliquod naturæque ordinem superans lumen, quo quam tutissime minori-  
que cum periculo in sapientiæ recondita adyta penetrare liceat. Quam præclare ac quam sapienter hæc disputata sint a pagano quidem philosopho, intel-

h) v. Phæd. 83.

li-

figent utiqve omnes, qui quam corruptæ sint ingenii vires quamque debilitatæ natura plenius introspiciunt.

Restat alia tamen quæstio, ad quam breviter adhuc & succincte respondendum est. Quæritur videlicet, quid per Θεῖον τὸν λόγον innuerit Simmias sufficienti rationis luce destitutus, dum ex mente Platonis multiplex horum verborum possit esse sententia. Ecquis enim est, qui nesciat, Platonem i) τὸ Θεῖον non summo solum DEO sed & Dæmoniis tribuisse, quos Θεῶς eum vocasse ex ejus constat scriptis. Ex quo colligeretur forsitan esse existimaveris, non tam ad DEVM immortalem quam ad geniose suos convertisse Simmiam. Quam ambigua porro sint, quæ voci k) λόγῳ subjiciat, norunt profecto, qui tum lites de l) triade platonica motas norunt, tum etiam quod mox voce m) ea ideas suas, mox primas rerum definitiones expresserit rite observarunt. Jam vero, cum non desint, qui masculè asserant, Platonem sua sæpe affinxisse Socrati: dubium hic esse potest, annon, ex philosophi hujus sententia λόγος ille sit interpretandus. Facile tamen de his ferri

b 3

po-

- i) v. Olearii Dis. de Dæmonio Socratis p. 6. 7. seqv.  
 k) Conf. Plutarch. de plac. Phil. L. I. c. 3.  
 l) v. Hahn. Disp. de Platonismo Theologiæ veterum ecclesiæ Doëtorum nominatim Justinii Martyris & Clementis Alexandr. corruptore.  
 m) v. Plat. Dial. Theæl. ubi tres præcipuas λόγῳ significationes explicat. conf. Doctissimi Winckleri Comment. in h. l.

poterit iudicium, si modo ad verborum coherentiam & nexum & ad effectum huius σκοπόν & propositum respiciamus nec a verborum ad rerum argumentemur convenientiam. Scilicet conqueritur de futuræ salutis conditione sollicitus, rationis humanæ infirmitatem atque infirmiori huic ac obscuriori lumini opponit clarius, præstantius, tutius, quod tenebras, quibus mens nostra est obnubilata, dispellere possit. Hanc omnium humanarum rationum optumam atque tutissimam Θεῖον λόγον nominat. Ex qua utriusque luminis comparatione mentem philosophi manifeste patere arbitramur. Nec est, quod ad Dæmonios magis Θεοὺς illos, quam ad τὸν τῶν Θεῶν respexisse Simmiam dicamus. Quod si enim vera sunt, quæ de Socratis Dæmonio Plato n) refert, non tam in eo occupatos esse hos genios crediderunt Socratici, ut, quæ nesciant mortales, manifestarent, sed id potius contigisse volunt Socrati, si quid consilii cepisset, iis in negotiis, quæ detrimento atque perniciæ esse illi potuissent, tum revocasset virum hunc genius, eoque induxisse, ut desisteret susceptis; nisi forsan omnia, quæ antiquiores ea de re dixerunt, o) cum Chauvino adscribere velis fabulis!

Quo certius itaque est mortalium salutem, teste jam Socrate, sine illis adminiculis divinitus extraque naturæ ordinem concessis constare non posse: eo magis

cc-

n) v. Ejusdem Theag. & Olear. c. 1. p. 18.

o) v. ejus diatr. de naturali religione.

celebranda est respublica, in qua bene sapienterque constitutis in Scholis a pernicie ad eas vias reducant juvenes Scholarum moderatores, quibus non ad civilem tantum sed ad cœlestem & sempiternam pertinent salutem. Eodem utique consilio factum est, ut Scholæ nostræ *Fautores atque Patroni longe spectabiles* nos, qui per hos quatuor & quod excurrit annos Rectoris munere hic sumus probe perfuncti, ad Rectoris jam Spartam rite ornandam evocaverint. Quæ contra a nobis deposita provincia, quum divinis consiliis auctoritateque Patrum Misenæ hujus Gravissimorum delata sit

*Domino*

JOANNI CHRISTIANO WIRTHGEN

Egregio *Patris consultissimi* JO. GEORGII WIRTHGEN filio, cujus de hac urbe nostra egregia promerita cum piis pie veneramus: non possumus non, quin solemniter ritu formulaque a summe venerabili Sacrorum Misenenfium & Scholæ hujus *Præsule* inaugurandi & Numini immortali & Franciscanei *Patronis atque Amplificatoribus* gratam testemur mentem, quamque pio atque fideli animo eorum, fiduciam in nobis repositam suspiciamus, publice etiam significemus. Fiet id primum a me succincta oratione

*De*

*De sobria in seholis philosophandi ratione*

Qua habita grati piique animi hoc officium ex-  
 quetur *Vir clarissimus* recensque constitutus *Collega no-*  
*ster* JO. CHRISTIANVS WIRTHGEN pro cathe-  
 dra dicturus

De causis sumpti a philosophis Græcorum pallii

Quæ omnia quum crastina luce, hora nona, nostro  
 in Franciscaneo peragentur, non est, quod dubitemus  
*Vos Patroni ceterique Musarum mansuetiorum Fautores,*  
*Vestra,* qua nihil nobis exoptatius accidere potest,  
 præsentia nos esse ornaturus. Id quod a *Vobis* majorem  
 in modum rogitamus. P.P. Misenae D. XI. JVL.

A. R. S. CIO ICCC XXXVI.

